

Heinrich Rudolph Redecker

**Rector Universitatis Rostochiensis Heinricus Rudolphus Redeker/ D. & PP. Ad  
Cohonestandas Exequias Quas maestissimus parens Vir ... Dn. Joachimus  
Lindemannus, Ecclesiastes ad aedem D. Petro sacram vigilantissimus, Filiolae  
suae suavissimae Dorotheae Agnetae, Hodie ... paratas cupit. Omnes & singulos  
Academiae Cives ... invitat**

Rostochii: Kilius, 1660

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770671780>

Druck    Freier  Zugang



Redeker, H.R.  
in  
**J. Lindemann.**  
Dorothea Agneta  
**Rostock. 1660.**

24



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn770671780/phys\\_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770671780/phys_0002)

DFG





34.

RECTOR  
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

HEINRICUS RUDOLPHUS



Redefer / D. & PP.

COHONESTANDAS EXEQUIAS

M. Q. Quas

mæstissimus parens

VIR REVERENDUS & CLARISSIMUS

DN. JOACHIMUS  
LINDEMANNUS,

Ecclesiaastes ad ædem D. Petro sacram  
vigilantisimus,

Filiola sua savissimæ

DOROTHEÆ AGNETÆ,

Hodie in æde Petrina hora 1. paratas cupit.

Omnes & singulos Academiæ  
Cives officiosè & amanter invitat.

---

ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr. Anno 1660.



RECTOR UNIVERS. ROSTOCH.  
HEINRICUS RUDOLPHUS *Redeker*  
CIVIBUS ACADEM.

Salutem!



Mnium suarum calamitatum  
& afflictionum victoriam  
Rex Iudæorum & Propheta  
Altissimi David in vitæ suæ  
brevitate , quando Psalm.  
39. *Palmos* , ait dedisti dies  
meos posuit ; cotidie enim  
obversabatur oculis ejus un-  
diquaque formidabilis & mi-  
sera hominum conditio quam vitæ humanæ brevi-  
tate maxime leniebat. Certus quidem erat de  
Dei gratia erga se certissima , interim externalum  
rerum molestia obrutus , omnem felicitatem in diē  
mortis referebat. Hinc etiam verum animæ tran-  
quillitatem , hinc conturbatæ mentis serenitatem ,  
hinc calamitatum terminum sibi promittebat .  
Neque immerito cum etiam saniores Gentiles solo  
natura

naturæ lumine illustres, miseriārum suarum lenimenta à brevitate vitæ arcesserint. Inde Cic. QQ. Tusc. II. Contemno inquit magnitudinem doloris, à quo me brevitas temporis vindicabit & Senec. VI. Natur. QQ. c. 32 Omnia ait feres constanter si cogitaveris nihil interessere inter exiguum tempus & longum, quia finitum est. Idem lib. I. de Tranquill. c. 10. Sic olim Philosophi hæc omnia quæ sub aspectum cadunt, sive bona sive mala sint, propter brevitatem vel fortiter ferenda vel facile contemnenda docuerunt, & Simonides apud Plutarchum lib. de Consol. Mille, dicit, Et centum annorum millia cum aeternitate collata sunt ut punctum temporis, imo ut puncti brevisima particula, & certe non aliā vitam sapientis esse credidit magnus ille Socrates, quam eam quæ est animæ à corpore separata. Equis sapientiæ passibus cum hisce Gentilibus incedere videtur Rex David in consolatione animis afflitorum adhibendæ. Navigantibus enim similes sumus qui oborta tempestate in proximos sinus defleunt & portum quietis sollicite quaerunt, sibiq; de adepta securitate amplissime gratulantur, nam sola mors quæ est animæ & corporis separatio ab omni mundi molestia nos securos reddit. Cæterum inter Davidis & Gentilium consolandi modum hoc interest quod Hi in afflictionibus non habent indubitatem conscientiæ tranquillitatem, quippe quam ex nudo

do naturæ lumine haud sibi persuadere, cum illa ex  
merito Christi duntaxat oriatur neque adeo beatitu-  
dinem animæ à qua vera consolationis ratio depen-  
det sibi polliceri possunt, cū ea coram tribunali ju-  
stitiae divinæ per fidem in Christum humano generi  
tribuatur. David vero indubitata æternæ salutis cō-  
solatione fuit dives, certus enim erat (1.) afflictiones  
suas esse à Deo omnis boni inexhausto fonte, (2.) eas-  
dem esse certa durationis termino definitas, (3.) esse  
durationem brevissimam, & afflictiones palmares  
quatuor quasi digitis constantes, subsecutura au-  
tem gaudia fore infinita & perpetua. Hanc etiam  
mortem cuj9 longior mora æternæ beatitudini9 di-  
latio est, præ occupavit suavissima Filiola Viri Reve-  
rendi & Clarissimi Dn. JOACHIMI LINDEMANNI  
Ecclesiastis ad ædem D. Petri vigilantissimi ami-  
ci nostri honoratissimi, emensa est stadium humanæ  
afflictionis intra dies palmares vix enim currere cœ-  
pit quin à gratiosissima facie altissimi in vita suæ in-  
nocentia & exordio nutum & nuncium acciperet,  
concedendi à temporalibus ad æterna, à miseria ad  
gloriam, ab ærumnis ad æterna gaudia, eò lane felici-  
ssima, & ab omni humana fece pura, quod experiri  
nō coacta fuerit in hac seculi sentina malorum mo-  
lestam phalangem. Neq; etiam tam bonis frui desit,  
quam majoribus gaudere cepit. Cum vix currere  
incipe-

inciperet metam prehendit, palmam tenet, coro-  
ronam victrix habet. Felix & gloria vita humanae  
catastrophe est quae pia ac placida hominis morte  
finitur, nam diu vivere nihil aliud est, quam diu in  
squalido vitiorum carcere torqueri, & cito mori est  
subito felicitatis ineffabilis scopum attingere. Sco-  
pulos iniquitatis, minas fortunae & lenocinantis  
mundi illecebra se evasit quae vix primam infamiam  
ingressa est. Corona vita redimita est, antequam in  
certamina subiret. Venit in amplexus Christi ante-  
quam diutinam crucem ad mortis usque januam  
cum ipso portaret. Quid enim vita hominum est, ut  
cum Syracide cap. XL. 1, 2, loquar, nisi magna occu-  
patio jugum grave quod factum est super filios Adam,  
a die exitus de ventre matris eorum, usque ad reversionis  
diem ad matrem omnium. Cogitationes, timor cordis, ad-  
inventio expectationis, dies fruitionis. A sedente super se-  
dem gloria, usque ad humiliatum in terra cinere, a ferente  
vestem hyacinthinam portante coronam, usque ad eum  
qui induitur lino crudo, hinc sit ut etiam parvulos vides  
amus post lavacrum regenerationis diversorum  
malorum afflictione cruciari, ut intelligamus vitam  
nostram magis ad spem futurorum, quam ad reten-  
tionem praesentiū pertinere. Gratulamur itaque; bea-  
tissimae animulae altissimam in ulnis sui Servatoris  
quietem, qua in aeternum sine molestia perficitur,  
gratu-

gratulamur immarcessibilem gloriæ coronam quā  
ex manibus sui Iesu excepit, ut incorrupti Regni fiat  
particeps, gratulamur suavissimos & tenerissimos  
quasi amplexus quibus excepta est à fraterculis &  
sororcula ante id ad patriam lectorū recepta cum  
quibus etiā sine fine ad Thronū Altissimū ejus laudes  
decantat. Ut verò etiam de brevi vitæ curriculo bea-  
tæ hujus filiolæ nonnulla apponamus. Nata est mel-  
litissima hæc puellula anni currentis 1660. die 8. Sep-  
tembris inter primam & secundā pomeridianū Re-  
nata est ex aqua & spiritu, facta sponsa sui redempto-  
ris die 10. ejusdem mensis, in cuius rei salutaris me-  
moriam accepit nomen DOROTHEÆ AGNE-  
TÆ. Paren̄s ipsi fuit quem diximus Vir Reveren-  
dus & Clarissim⁹ DN. JOACHIMUS LINDEMANN-  
NUS, Ecclesiastes ad D. Petri vigilantissimus, ami-  
cus noster honoratissim⁹: Mater, virtutibus ornatis-  
simæ fœmina EVA Goltsteins. Avum paternum ha-  
buit, Virum Amplissimum Consultissimum & Ex-  
cellentissimum, DN. THOMAM LINDEMANN-  
NUM, J. U. D. & Professorem præclarè de hac Aca-  
demia, & Syndicum de hac Civitate maxime meri-  
tum. Aviam paternam ELISABETHAM Hahnen.  
Avum maternum, Virum Reverendum & Clarissi-  
mum DN. JOHANNEM Goltstein / Ecclesiæ ad  
D. Nicolai quondam Pastorem fidelissimum & Su-  
perin-

perintendantem longè gravissimū. Aviam maternā,  
fœminā omni laude virtutū perspicuam DORO-  
THEAM Alwarts / hodie uxore Viri Reverendi &  
Clariss. DN. M. REMBERTI Sandhagen/ Ecclesia-  
stis ad D. Nicolai vigilantissimi amici & popularis  
nostrī conjunctissimi. Hac splendidā prosapiā ge-  
nita pie defuncta puellula hæc , ab ipso ortus sui die  
varios accepit suæ mortalitatis nuncios , varia sym-  
ptomata , & tenerimi corpusculiconcussiones , ad  
quas cū ante ostiduum ferme accederet maligna fe-  
bris , morbi vis facile suavissimā animulā ex habita-  
culo suo excusit & ejecit , opposita quidē suere effi-  
cacissima & prætiosissima ex manu Viri Amplissimi  
Excellentissimi & Experientissimi DN. CASP. March/  
Medicinæ Doct. & Prof. amici nostri honorandi ,  
medicamenta , verum pertinacissima morbi vehe-  
mentia omnem humanam industriam & opem uti  
in subsequentibus Dominus Medicus latius declarat  
superavit . Causam naturalem seu physicam si quis nō se  
percipiat unde tam citò solvi potuerit in hæc Infantulā ar-  
etisimum illud Corporis Animæq; vinculum , sciat , eam , à  
primo ortu constitutione fragili fuisse exhibitam , pravisq;   
sanguineæ massa & qualitatibus imbutam apparuisse , unde  
variis , iisq; dolorificis cutis efflorescentiis , tuberculisq;  
suppurantibus obnoxia ; quæ cum non ita pridem exspi-  
rassæ ac desinere viderentur gravior ecce ♂ febrilis quidam  
affactus

affectus eam corripuit, occultioribus tenerrimum corpusculum doloribus intus affligens, viresq; ejus exiguae illico prosternens, quibus refocillandis conservandisq; nulla par deprehensa fuit medicina, necessariō naturae adjumentō destituta: unde paucorum dierum spatiō eadem prorsus exsolutæ, emigrandi ē domicilio iuis in posterum usib; in eptō necessitatē. Animalē beatissimā induxerunt. Egressa ergo est induita vestib; salutis, & ornata justiciæ tunica, animula beata in amplexus sui Salvatoris XXV. Noyembris hora X vespertina. Felix quiete sua qua satiatur in Domino. Corpusculum suum nobis reliquit hodierno die in dormitorium suum inferendum.

Quod dum facimus mæstissimis Parentibus ex animo apprecamur efficacissimas consolationes de fonte salutis per spiritum sanctum, & robur animæ superandi montes tristitiae ex insperata hac luctus materia objectos, videndiq; serenitatem quæ est ex solamine altissimi. Cæterum cum hodie hora I. in templo Petrino beatulæ nostræ iusta sint exsolvenda permanter, & officiosè rogamus & monemus Cives omnium ordinum Academicos, ut frequenti sua præsentia & condolentia luctum honoratissimorum parentum mitigent, ipsique suæ mortalitatis & futuræ exsolutionis (ad quam indies propriū accedunt) in Domino memores reddantur.

P.P. Rostochii sub Sigillo Rectoratus 29. d. Nov. Anno M. DC. LX.  
Conventus fiet in æde Petrina.











Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn770671780/phys\\_0016](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770671780/phys_0016)

DFG

perincidentem longe gravissimū. Avia  
fœminā omni laude virtutū perspicuam  
**THEAM Alwarts** / hodie uxori Viri Re  
Clariss. Dn. M. REMBERTI Sandhager  
stis ad D. Nicolai vigilantissimi amici &  
nostrī conjunctissimi. Hac splendidā p  
nita pie defuncta puellula hæc, ab ipso  
varios accepit suæ mortalitatis nuncios  
ptomata, & tenerissimi corpusculiconcu  
quas cū ante octiduum ferme accederet  
bris, morbi vis facile suavissimā animula  
culo suo excusit & ejecit, opposita quid  
cacissima & prætiosissima ex manu Viri  
Excellentissimi & Experientissimi Dn. C  
Medicinæ Doct. & Prof. amici nostri  
medicamenta, verum pertinacissima  
mentia omnem humanam industriad  
in subsequentibus Dominus Medicus la  
superavit. Causam naturalem seu physican  
percipiat unde tam citò solvi potuerit in hac  
etissimum illud Corporis Animaq; vinculum  
primò ortu constitutione fragili fuisse exhibit  
sanguineæ massæ qualitatibus imbutam ap  
variis, iisq; dolorificis cutis efflorescentiis  
suppurantibus obnoxia; quæ cum non ita  
râsse ac desinere viderentur gravior ecce E

